

los constat: venturam eo indutam vestibus gentem, quæ regionem subigeret, & ipsorum aboleret Deos. Sed vicinæ huic insulæ hominibus alterius ex duabus, de quibus supra dictum est, insulis, quam quidem & propter magnitudinem Hispani terram esse continentem crediderunt, & hominum genere atque auri copia multum præstare cæteris intellexerunt, & *Cubam* appellari didicerunt: serpentes nova totius corporis specie ac forma prædicti, sesquipedis plerunque longitudine, qui ex terra & ex aqua vivunt, in lautioribus erant epulis. Verum enimvero & illi, & qui proximas obtinebant insulas, quarum magnus erat numerus, plerique auream ætatem agere; nullum agri modum noscere; non judicia, non leges habere; non litteris, non mercatura uti; non in posterum sed in dies vivere.

Ac dum hæc conqueruntur, Joannes Lusitaniæ rex per legatos apud Hispaniæ reges queritur: *Sua litora, suasque regiones ab ipsis tentari: eas, quas reperissent insulas ad se spectare, qui Hesperides habeat, & cuius majores oceani percurrere ante omnes alios sint ausi.* Contra Hispaniæ reges dicere: *Quæ non fuerint ullo ab homine ante parta, omnibus hominibus patere: se nulli esse injurios, si ab cæteris ignorata, labore & studio acquisiverint suo.* Itaque magnis ex ea re obortis inter eos disceptationibus, ne controversiæ ejusmodi ad bellum duderentur, utriusque se Alexandri Pontificis Maximi judicio staturos spondent. Alexander tota re cognita statuit, ut a septentrionibus directa ducta in australem polum linea, quæ a Gorgonum insulis tercenta millia passus in occasum distaret, quæ pars orbis in oceano ad occidentem solem esset, ea Hispaniæ regibus cederet: quæ ad orientem spectaret, juris Lusitani censeretur. Ita orbis terrarum ab ea oceani ora in duas divisus partes, duobus regibus perquirendus & obtainendus est traditus. ad quam quidem certe rem magna uterque diligentia consequendam se dedit.

*Hispaniæ
Lusitaniæ
que regum
disceptatio
per Alexan-
drum di-
empta.*

Sed Hispanis ulteriora tentantibus, terra est objecta continens paulo minus decies centena millia passuum ab

Hilpa-